



AD LECTOREM.

COgitanti mihi, & cum suavissimo Collega meo Domino Francisco Lautter deliberanti s&pius, quænam potissimum dissertationis materia nobis diligenda foret, tandem in mentem venit, ut eam Medicinæ partem, quæ Materies Medica dicitur, quodam compendio pertractaremus, idque eo libentius, quod Medicinæ studiosis gratam nos operam laturos arbitraremur.

Tantum vero abest, ut novum opus nos in lucem edituros jactemus, ut ea potius, quæ publicis in collegiis longo sermone, & præclara celeberrimorum cum Theoriæ, tum Praxeos Professorum opera ad stuporem usque explicata, in usus nostros adnotavimus, paucis referre ultro fateamur.

Neque

Neque vero plantas botanico charakte-
re definire , aut corpora subtiliore analysi
Chemica rimari, aut denique encheires in phar-
maceuticam dare constituimus : amplum enim
illud opus foret , atque compendii limites
procul dubio transgressurum.

Solas igitur virtutes, easque præcipuas,
hodie maxime cognitas singulorum simpli-
cium attulimus ita , ut formam , qua præ-
scribi , dosin , qua exhiberi debeant , adjun-
geremus , & præparata , quæ in officinis ex
iisdem prostant usitatissima recenseremus in-
utilia relinquentes . Ordinem in enumeran-
dis Medicamentis eum servavimus , quem
immortalis Boerhaave suis in institutionibus
tenet.

Ego proinde ea , quæ in usus alimen-
tarios cedunt , primum examinaturus sum ;
dein vero quatuor Cardiacorum Classes per-
scrutabor : Antidota , & quæ tum sequentur
supra nominatus Dominus Collega meus
pro excellenti sua , qua pollet , ingenii per-
spicacia , & industriæ assiduitate pertractabit.
Tu interim amice Lector ! exiguos conatus
meos boni consule , mihi fave ,
ac bene vale.

§. 1034.